



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117964**

§. 26. Conjuratio Cincii contra Papam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

die Lunæ secundæ Septimanæ in Qua-Sæculum XI.  
dragesima causam dicturus & ad quere- A.C.1075.  
las contra ipsum delatas responsurus,  
quod nisi faceret, ipsa die sine ulla mora  
a Papa excommunicandum esse, & a cor-  
pore Ecclesiæ rescindendum. Audienti  
hæc Regi illico vultus exarsit, Legatis-  
que ignominiose ejectis, omnes Episco-  
pos Regni sui & Abbates Dominica Se-  
ptuagesimæ, quæ anno sequente mille-  
simo septuagesimo sexto in vigesimam  
tertiam Januarii incidebat, Wormatiæ  
adesse iussit, cum ipsis de Papa deponen-  
do deliberaturus; nec enim dubitabat,  
hoc sibi unum superesse remedium ca-  
piendum, si salvus esse, & Regno suo non  
privari cuperet.

## §. XXVI.

*Conjuratio Cincii contra Papam.*

Dum hæc in Germania aguntur, alii Ro-  
mæ contra Papam conjurant. Nam *Act. Greg.*  
Concilio hujus anni, millesimi septua- *ap. Boll. to.*  
gesimi quinti, soluto, ceteris Episcopis *17. p. 148.*  
ad Ecclesias suas revertentibus Guiber- *vit. c. 5.*  
tus Archiepiscopus Ravennas apud Pa- *ibid. p. 123.*  
pam mansit. Is viam sibi ipsi ad Papa-  
tum paraturus, omnes donis & promif-  
sis sibi devincire studebat, quotquot Gre-  
gorio sciebat esse infensos. Præter alios  
cum Cincio Romanæ civitatis præfecto,  
filio Stephani, qui & ipse hanc præfectu-  
ram

Sæculum XI. ram gesserat, arctissimum amicitiae fo-  
A.C. 1075. dus iniiit, arcanorumque consiliorum  
 conscius habuit. Erat vero Cincius  
 homo perditissimus, sceleratus, perfidus,  
 versutissimus, perjuriis & latrocinis ab-  
 suetus. Ipse factioni Cadaloi Alexan-  
 dro II. Papæ adversæ faverat, & præalta  
 turri in ponte S. Petri extructa nova ve-  
 ctigalia a navigantibus exigebat. Quin-  
 etiam in tota Italia potentissimus Roma-  
 næ Ecclesiæ patrimonia hostiliter vexa-  
 bat. Papa sæpe privatim, at frustra,  
 monitum tandem vaticano fulmine per-  
 cussit.

Cincius probro concitatus in Apu-  
 liam se contulit ad Robertum Guischar-  
 dum ceterosque a Papa excommunica-  
 tos, cum iis deliberaturus, qua facillima  
 ratione Papa capi & vita deturbari pos-  
 set. Tum filio suo ad Guibertum Ar-  
 chiepiscopum Ravennatem misso, datis  
 ad Regem Henricum literis pollicitus  
 est, se captivum Papam ad ipsum in Ger-  
 maniam perducturum. Tempus deinde  
 rei gerendæ opportunum expectavit,  
 quod non prius quam anno ferme elapso  
 se se obtulit. Nempe in Natali Domini  
 anno 1075. Papa de more Officium no-  
 cturnum celebraturus Basilicam S. Mariæ  
 Majoris petiit, paucis de Clericis popu-  
 loque sequentibus, quippe densæ nubes  
 illa nocte imbrem adeo intolerabilem ef-  
 funde-

fundebant, ut vix aliquis domo pedem efferre & ad vicinum suum commeare ad comportanda vitæ necessaria auderet. Cincius ab exploratoribus monitus cum turma militum loricatorum ad Ecclesiam venit dispositis, ubi visum fuerat, equis, ut si sceleri fortuna abesset, cum sociis adversariorum vim posset effugere.

Sæculum XI.  
A C. 1075.

Papa primam Missam in Sacello ad Præsepe celebrabat, ipse Clericique communicaverant, jamque Sacra Communio populo præbenda erat, cum subito ingens clamor exoritur. Conjurati strictis gladiis Ecclesiam intrant, obvios quosque feriunt, atque ad Sacellum S. Præsepis collecti ostiola effringunt. Ibi Summo Pontifici manus injiciunt, unusque satellitum ei caput amputaturus gravi vulnere frontem afficit. Mox e loco Sacro abstrahunt, in capillos irruunt, percutiunt. Gregorius vero non resistebat, nec verba saltem acerbiora latronibus suis ingerebat. Sed oculis ad cœlum levatis silebat. Seditiosi Summo Sacerdoti Pallium, Casulam, Dalmaticam, tunicam ademerunt, atque sola Alba & Stola indutum unus eorum præcedens post tergum suum vinctum duxit.

Atrocissimi facti fama per Urbem sparsa, in omnibus Ecclesiis cessarunt Sacra, denudata Altaria, campanæ pulsatae signum tubis datum, ad omnes Ur-

*Hist. Eccles. Tom. XV.*      T      bis

Sæculum XI. bis portas custodes positi, ne Pontifex  
 A.C. 1075. extra Urbem raperetur, nam nesciebatur, quid eo factum esset. Tandem populo ad Capitolium concurrente, non nulli nunciant, Papam in turri Cincii teneri. Ubi autem illuxit, turmatim ad

**Conjuratio.**

eius palatium convolant cives; jamque pugnabatur, sed conjurati vix hostem ingruentem intuiti fugam capessunt, & in turrim confugiunt. Ergo eam obsident Pontificii, advehuntur machinæ & arietes, circa arcem ignis excitatur. Inter hæc vir quidam cum uxore sua Pontificem captum secutus, eum injectis vestimentis fovebat, & inflictum vulnus curabat, Cincii Sorore eundem conviciis impetente. Quin aliquis ex servis ejus evaginatam gladium manu tenens jurabat, se Gregorio illa adhuc die caput a cervicibus avulsurum. Sed temerarius homo paulopost hasta in gutture recepta occubuit.

Cincius intelligens turrim suam brevi expugnatam iri ad pedes Papæ provoluit veniam rogavit, petens sibi poenitentiam, quamcunque præscribere placuisset. Injunxit Papa, ut Jerosolyman peregrinaretur, quod facturum se ille promisit. Tunc Gregorius ad fenestram procedens se conspiciendum obsidentibus præbuit, extensis manibus significans, ut quiescerent, jussitque; ex præcipuis

cipuis Romanorum aliqui ad se ascende- Sæculum XI.  
A.C. 1075.  
rent. Alii vero, rati, Pontificem gesti-  
bus rogare, ut auxilium accelerarent,  
propugnaculis strenue superatis cum in  
urbem reducunt. Tenerrimo doloris  
sensu intuebantur Romani carissimum  
Patrem sanguine suo foedatum; mox ad  
Basilicam S. Mariæ Majoris reuectus,  
Missam complevit, Benedictionem po-  
pulo impertitus est, & ad Lateranense  
Palatium reversus, convivium solemne,  
ut mos erat, exhibuit.

Interea Cincius cum uxore, liberis,  
fratribusque fuga se se proripiebat. Ce-  
teri quoque conjurati in diversa sparsi,  
omnia eorum bona direpta; sed effecit  
Papa, ut nemo eorum vita privaretur.  
Die autem altera, quæ Nativitatis Fe-  
stum sequitur, populus Romanus Cin-  
cium in omne tempus exilio damnavit,  
turrin ab ipso editam igni ferroque de-  
struxit, omniaque tam intra quam extra  
Urbem ad ejus ditionem pertinentia de-  
vastavit. Contra Cincius Ecclesiæ ter-  
ras, quocumque pervadebat, depopula-  
batur; unde tristes seditionis commotæ  
effectus non nisi post longum tempus re-  
primi potuerunt.

Guibertus vero Archiepiscopus, pe-  
tita a Gregorio Papa Ravennam redeun-  
di licentia, postquam illo pervenit, cum  
Thedaldo Archiepiscopo Mediolanensi

Seculum XI. ceterisque Episcopis Longobardiæ sedi-  
A.C. 1075. tiosis contra Papam secreto conspiravit;  
 unde vana effecta sunt Papæ contra Nor-  
 mannos molimina. Quin Guibertus  
 opera Hugonis Candidi Cardinalis usus,  
 Robertum Guischardum & Henricum  
 Regem, aliunde irritatum, contra Gre-  
 gorium Papam accendere conatus est.

## §. XXVII.

*Epistola Papæ ad Regem Henricum.*

III. ep. 10. Inter hæc Papa, priusquam Legatorum  
 suorum ad Regem missorum respon-  
 sum acciperet, dedit ad eum epistolam  
 in hunc ferme modum scriptam: *Dice-  
 ris cum illis communicare, qui a Sacra  
 Sede excommunicati sunt, quod si verum  
 est, Benedictionem nostram accipere non  
 potes, nisi prius bis a te separatis & ad  
 agenda pænitentiam compulsis, tu que-  
 que congrue satisfeceris. Quare Excel-  
 lentia tuæ suademus, ut celeri confessione  
 Religiosum aliquem Episcopum adeas, qui  
 te absolvat, & modum injunctæ pæniten-  
 tiæ nos edoceat. Ceterum mirum nobis  
 valde videtur, quod postquam tot epistolas  
 ad nos dedisti amicitiam profitentes &  
 promittentes obedientiam, ve tamen &  
 factis asperrimum te atque Canonicis San-  
 ctionibus adversum ostendis. Ut enim  
 de ceteris taceamus, in negotio ad Ecclē-  
 siam Mediolanensem pertinente, quo ami-  
 ma*